DE
DIVERSIS CONTRA TAENIAM REMEDIIS ATQUE METHODIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET UNA CUM ADIECTIS THESIBUS

DIE XII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Guilelmus Zilz

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

G. COLMANT, Dd. med.

G. d'HAUTERIVE, Dd. med.

W. BIERVERT, Dd. med.

BONNAE

EX TYPOGRAPHIA C. KRUEGER.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME VENERANDO,

MAUR. ERNESTO ADOLPHO NAUMANN

MEDICINAE ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO INSTITUTI CLINICI MEDICI IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARUM SODALI, EQUITI ETC.

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Medicamentorum copia, quae contra morbum aliquem laudantur, si iure ingentem dicere licet, certe est in helminthiasi ac praecipue, quae taenia efficitur; qnae res non solum ex veterum scriptis elucet, sed etiam usque ad nostra tempora pertinet et ita quidem, ut istam medicamentorum turbam ac methodorum, quae specialiter contra malum istud saepe sine dubio toti valetndini periculosum excogitantur, in diem crescere videamus. Sive in fastidio quodam rei ipsius, sive in eo positum est, quod saepe therapiam sine ullo successu adhibitam videmus, sive in alia causa, tamen semper et nostris quidem temporibus, quae tantam lucem ea de re emiserunt, tale studium prorsus vituperandum est. Nam, ut de detrimento taceam, quod tali recentium remediorum venatu tam arti quam aegrotis imminet, non dubitandum censeo, quin ex ista medicamentorum turba, — quam taeniarum gigantem materiae medicae, vel, ut vernacula lingua utar, „einen Riesenbandwurm" appellare ex eaque expulsam esse velim — nobis multo minori remediorum numero opus sit ad eundem assequendum effectum. Neque tamen profecto infitiandum est nec minus laudandum, tantas vere martiales, ut ita dicam, atque immanes curas non iam adhiberi, quibus non taenia solum aegrotis depulsa est, sed etiam valetudo; cuius rei

multa medicinae historia afferre potest exempla. Quamvis interea illa therapiae pars multis modis emendata magisque simplex reddita sit, ut magnis progressibus et physiologicis et anatomico - pathologicis in helminthologia nostri temporis aliter fieri non potuit, tam multa tamen mira atque inutilia intermiscentur, ut operae pretium mihi esse videatur, expositis rebus, quales sunt, atque iis, quae ex his sequuntur, statum illius therapiae breviter adumbrare.

Antea autem animadvertendum est, me hoc loco nil nisi therapiam contra taeniam morbosque, qui ex ea nascuntur, respicere, omissa aetiologia, diagnosi, prognosi etc., quibus de rebus egregii libri nobis praesto sunt [1]).

Ut melius perspicuatur, ita rem disposui, ut in partem primam historicam et in alteram critico-therapeuticam divisa sit. In appendice nonnullae morborum historiae attuli ad comprobanda ea, quae in parte therapeutica sunt dicta.

1) Imprimis commemoro: Die in und an dem Körper des lebenden Menschen vorkommenden Parasiten etc. von Dr. Kuechenmeister, Leipzig 1855.

PARS I. HISTORICA.

Nihil me proficere viderer, si a primis temporibus usque ad nostros dies indicem omnium remediorum, quae adhibita sunt, proferrem; quare sufficiat, brevi conspectu primaria huius therapiae momenta exhibere. Quod de singulis methodis accuratius agitur, idcirco factum est, quod observatione digniores censemus.

Iam in bibliis sacris multi loci inveniuntur, e quibus enthelminthes morbosque ex iis ortos notos fuisse satis probatur; nec de actiologia vero nec de therapia quidquam annotatum invenimus; cuius causa brevi Ciceronis illo dicto reddi potest: „Iacent ea semper studia, quae apud quosque improbantur.“ Quod biblia sacra huius rei mentionem non faciunt, praeterea in eo positum est, quod non illius libri esse videtur, nobis naturae cognitionem exponere; id quod tantummodo fit, quantum ad ipsam rem intelligendam pertinet. Ceterum Theophrastus Eresius [2]) atque Plinius [3]) mai. nobis narrant, taeniam Aegyptiorum populo praecipue in-

1) Vide: „Praktische Monographie der Bandwurmkrankheit etc. von A. J. Wawruch. Wien 1844“ S. 6—9.

2) *Ἡ δ᾽ ἕλμινς σύμφυιον ἕνιος ἔνθεσιν. Ἔχουσι γὰρ ὡς ἐπίπαν Αἰγύπτιοι, Ἄραβες, Ἀρμένιοι, Σύροι, Κίλικες κ. τ. λ.* Theoph. Eresii op. o. graece Vol. I. p. 507 Lat V. II, p. 199.

3) Sunt et gentium differentiae non mediocres, sicut accepimus de tineis (taeneis) lumbricisque, inesse Aegypti, Arabiae, Syriae, Ciliciae populis. Plin. L. XXVII. c. 13. v. 120.

esse. Quod si Herodotus de Aegyptiis addit: „Patriis contenti moribus, nullum alium adsciscunt“ atque ex recentibus peregrinatoribus Hasselquistius[1]) Suecus contendit, tres partes incolarum Caïronis taenia laborare, iam magni Israelitarum legislatoris temporibus taeniam notam fuisse vix dubitandum est atque ex eo, quod supra diximus satis elucet, quare de therapia nil referatur.

Prorsus aliter vero res se habet, si ad cognitionem helminthum ac praesertim ad eorum curam apud Graecorum populum respicimus, qui sicut in omnibus ceteris rebus etiam hic summa nos admiratione implet. Imo admirandum est, quam perspicue viri naturae periti ac medici huius nationis tam parvis auxiliis nisi de natura illius morbi iudicarint; nec minus principia ab illis in ea therapia proposita etiam hodie tanquam recta comprobanda esse admiratione dignum est Neque modum nos excedere putamus dicentes solis Graecis gloriam semper illibatam anthelminthicorum feliciter inventorum atque experientia et ratione optime adhibitorum esse reservandam.

E diversis igitur locis auctorum Graecorum, qui de medicina scripserunt plane apparere videtur, priusquam anthelminthica ipsa adhibebantnr, curae quandam praeparationem antecessisse; id quod etiam ab Hippocrate generatim dictum significat: Aegrotus ante usum medicamentorum ipsorum „κάλως παρασκευάσμενος“ sit. Accuratius his de praeparationibus curam ipsam antecedentibus Dioscorides[2]) loquitur, qui homines helminthibus laborantes nonnullos dies ante uvas siccatas, iuglandes, seu allium edere, semen Coriandri cum oleo et defrutum uvarum bibere seu cibo abstinere iussit. Similia apud Theophrastum inveniuntur. Anthelmin-

1) Rosa til heliga Lendet p. 550.
2) Dioscorid. Parab. L. II. p. 97.

thica ipsa stricte sic dicta, quae in scriptis praecipue Theophrasti, Dioscoridis, Galeni, Pauli Aeginatis, Alexandri de Tralles, Aëtii, Actuarii etc. enumerantur [1]), ut tulit aegroti conditio, partem forma pulveris, decocti, pillularum, electuarii, inunctionis, fomentationis clysmatum denique adhibita sunt et promiscue quidem contra omnes helminthum species. Nonnullis recentibus remediis exceptis omnia, quae hodie etiam anthelminthica enumerantur, iam tum nota atque adhibita esse ex auctoribus illis videmus, vel etiam modum adhibendi ac rationem in re ipsa fere totam eandem esse ac nostris diebus, atque, si non timerem, ne reprehensor tantum a nonnullis haberer, profecto dicerem, rationem curandi veterum, quoad simplicitatem, multas nostri temporis methodos superare, quoad certum effectum ac bonam rationem iis minime adaequare.

Etiam de cura nostra lingua „Nachkur" dicta veteres recte cogitasse videntur, quod quidem e Pauli Aeginatis [2]) intelligitur verbis: „Helminthes expelluntur necando, id quod efficitur remediis amaris porrectis," idemque ad curam illam Theriaca Andromachi [3]) commendat.

Haec fere sunt, quae hac de re e Graeca antiquitate nobis sunt tradita, quae multo plura essent, si magna auctorum medicorum copia amissa non esset.

Multo brevius rem apud Romanos tractare possumus, quum partim solum heredes artis medendi ideoque fere nihil ipsi proficerent, partim apud eos tam parvi aestimaretur, ut Catoni dicere liceret: „Ita est profecto! Lues morum nec aliunde maior, quam ex medicina." (Cato ap. Plin. H. N. L. 29. c. 1.) Quae contemtio etiam medicos attigit, quod

1) V. monographia supra citata a Wawruch. p. 22—26.

2) Paul. Aegin. L. III. p. m. 157.

3) L. IV. c. 57. p. 159.

apud Plin., Tacit. aliosque legitur. Corn. Celsus ipse de taenia per pauca tantummodo generatim dicit; ad eam depellendam commendat decoctum e lupis, cortice mori, pipere, hyssopo. Sed una eius ordinatio de cort. Pun. Granat. data digna nobis videtur, quae hic afferatur, quum in re ipsa cum adhibendi methodo, qualis hodie est, congruat. Est autem haec. „Mali Punici tenues radiculas colligat, quantum manu comprehendet, eas contusas decoquat, donec tertia pars supersit; huic adiiciat nitri paulum et ieiunus bibat.“ (Cels. L. IV. § 27. p. 182). Deinde praecipit, ut aegrotus aquam quandam nitrosam duram bibat et in vaporatione aquae calidae sedeat etc. Plura autem nos docet Plinius[1]), qui etiam primus est, qui ad praeparationem curae inediam imperet. Index anthelminthicorum eius satis est copiosus; omnia tamen, paucis rebus in adhibendis remediis immutatis, iam apud scriptores Graecos, de quibus supra diximus, invenimus. Denique Caelii Aureliani Africani mentio est facienda, qui toto in capite disserit de entozois, cuius disputationis fragmentum tantum ad nos pervenisse lugemus; attamen ex eo, quod reliquum est, intelligimus, eum Graecorum cognitionem maximam habuisse et ipsum his de rebus aliqua expertum esse. Brevi in conspectu posuimus, quid Romani hac in re profecerint, quum ea, quae alii scriptores de hac materia afferunt, parvi sint momenti atque generatim et summatim exposita.

Iam transeamus ad ea, quae therapiae medici recentioris aevi sint consecuti; attamen, quod attinet ad descriptionem singularum partium singularum methodorum facere non possumus, quin lectorem ad scripta infra citata[2]) delegemus,

1) H. N. L. XI. c. 38. p. 611.

2) V. Kuechenmeister op. cit. p. 101—121. G. Seeger: die Bandwürmer des Menschen in naturhistor. pathol. und therapeut. Beziehung, Stuttgart 1852 p. 89—193.

quum huic rei brevi in nostra dissertatione locus non sit relictus. Quam ob rem, ut nihil praetermittamus, singula remedia singulasque methodos breviter commemoramus, initium capientes a medicamentis, quae vocantur, „popularibus", quorum in numerum longum per temporis spatium aqua frigida et potionis et clysmatis forma praedicabatur, ut a Rosenstein et a Pallas nec minus a Rudolphi. Van Swieten eam contra oxyuros vermiculares adhibuit, Loeffler pillulas glaciei praescripsit. Etiam nunc nonnullis in regionibus homines tanquam medicamentum ieiuni bibunt aquam, in qua complures per dies linum putrefactum est. Deinde adhibitur potio aquae nitrosae cuiusvis generis, harengae sale plurimo conditae, allium alia eduntur. Nunc vero breviter singulas methodos ipsas exponere possumus, quum in iis de singulis remediis agatur.

Methodi cum Drasticis et Mercurialibus.

1. meth. c. t. Bremseri: electuar. e sem. Cin., rad. Ialapp. etc. insequente Ol. Chaberi.

2. meth. Schmittii, valde fortis, cum curae praeparatione inseq. pillul. e Calom. Ialapp. Gi. guttae etc.

3. meth. Hufelandii fortior. Ge. guttae. Calom etc.

4. meth. Ritscheri: vesperi h. VII.

℞ Calom. gr. XII.
Lapid. cancror. ℈I.
Ds. simul sumend.

h. IX. ℥Iβ Ol. amygd. dulc. temp. matut. seq. h. VII. et IX.

℞ P. Gi. guttae gr. XII.
rad. Valer.
sem. Cin. aa gr. IV.

5. meth. Lagènei: Calom. etc.

6. meth. Lieuthenaudi.

7. meth. Desaultii: inunctiones ung. ciner. cum magn. dos, Calomel,

8. meth. Clossii: post curae praeparationes P. Calom. tum P, G. gtt.

Methodi c. ol. terebinthin.

1. meth. Feuwickii et Copelandi: mane ℥II. ol. tereb. simul sumend. ieiunus; si non sequuntur sedes, iterum ℥I—II.

2. meth. Thompsonii: ℥I ol. tereb. cum melle ad electuar. duabus partibus ante somnum sumend.

3. meth. Schmidtmannii: ℥β ol. plus, quam in praecedenti,

4. meth. Mayoris: eadem ol. fil. mar. addito.

5. meth. Merckii: post inediam:

℞ Ol. terebinth. ℥I.
c. Vit. ovor. II. subact.
Sach. alb. ℥β.
ds. s. sum.

si non succedit, die seq. repetendum. Plura de ol. trebinth. v. in altera parte.

Methodi c. stanno.

1) m. Richardi de Hautesirk. 2) m. a Matthieu. 3. m. Mayeri. 4) m. Autenriethii. 5) m. Alstonii. 6) m. Dupuisii: nulla adhibita curae praeparatione mane h. IV. et dimidio horae post pulverem.

℞ Stann. raspat. angl. ℈β.
Tannin.
Gi. gtt. āā gr. V.
El. sach. Caieput. gr. IIβ.

post singul. pulver. bina pocilla coffeae sine lacte. Taenia expulsa tinctura aliqua ferri. 7) Becker stannum galvanice praecipitatum commendat.

Meth. c. rad. filis mar.

v. eas in op. Kuechenmeist. iam citato (p. I p. 121 sqq.)

Meth. c. corl. rad. Granat.

Praeter scriptores Graecos (Dioscorid.) et Romanos (Cels. Plin. II.) medio aevo Michael Hero (1553) et Ad. Lonicerus cort. rad. Granat. tanquam remedium contra taeniam commemorant. Ex India orientali, ubi primis a temporibus plurimi aestimabatur, a Buchananio medico Anglico in Europam est translata; cuius methodi iam Bremser mentionem facit, quum Flemming (1810) primus observationes, quas eocum fecerat in lucem proferret. Deinde in Gallic a Mérat et in Lusitania a Gomez est introducta, quo ex tempore iure ac merito usque ad nostros dies plurimi habetur.

a) Meth. sine combinatione.

1. meth. Buchananii: dacoctum ex ℥VIII cort. rad. pun. granat. ad pintas II, parvis intervallis ad pocillum bibendum, donec taenia depellatur.

2. meth. Bretonii: decoctum ex ℥II cort. recent. cum ℥XVIII aq. ad ℥X ad pocillum bibendum.

3. meth. a Mérat: v. Kuechenm. p. 125.

4. meth. Schmidtmuelleri ibid. p. 126.

b) Meth. cum combinatione.

vid. Kuechenm. p. 126—128.

Methodum in Clinico Bonnensi ab eius Directore, illustrissimo prof. Dr. M. Naumann adhibitam vide in appendice.

Meth. cum vi electrica.

Ea a Frick, Buch, Sere est adhibita nec minus praedicata est. Vide: Seeger l. c. p. 97—98.

Meth. cum remediis recentior.

Quum illla medicamenta non satis experientia sint comprobata, delego lectorem ad ea, quae de iis referuntur, in: „Pharmazeut. Centralblatt 1851 n° 39. p. 616, ubi medicamenta, quae dicuntur“ Abyssinica, enumerata inveniet; Berliner Nationalz. 1853 No. 53, ubi plura de rad. Pannae; Med. Neuigkeiten 1854 No. 13. p. 101 de fructu Saoriae.

Flores Kousso

S. Brayera anthelminthica hic separatim affero, quum recentiore aetate multa experimenta et hae quidem saepenumero felicia hoc cum medicamento sint facta. Dos pulv. est ʒVI—℥I propter malum saporem optime electuarii forma. Raymann prof. Vindobonensis hac utitur formula:

℞ Flor Kousso ʒVI
mac. per 24 h. in aq. frig.
tum coq. in eod. aq. h. dimid.

D. S.: mane recipe ieiunus et id quidem antea non colatum, nonnullis horis post ℥I—II Ol. Ricin. (Hebra's Zeitschr. von 1854.)

Cui brevi conspectui historico finem facientes, transeamus ad alteram partem multo maioris momenti.

PARS ALTERA CRITICO-THERAPEUTICA.

Hac in parte nostrum erit potissimum exponere, quonam modo, nulla diagnoscos re dubia taenia omni ratione certissime atque sine ullo valetudinis detrimento possit depelli. Qua in re omnium taeniae specierum adhuc notarum habetur ratio; sunt autem: taenia solium, botriocephalus latus, taenia mediocanellata (Kuechenm.); de duabus aliis speciebus, quarum altera nomen capit a „promontorio bonae spei", altera vocatur taenia nana nihil fere quoad therapiam nobis est notum.

Priusquam de ipsa therapia disseramus, opus est omnium earum rerum rationem habere, quae ad ipsam curationem, qua taenia depellitur, eo sunt momento, ut curationem vel prohibeant, vel differant; sunt autem hae, quae vocantur contraindicationes.

Primo loco agimus de opinione illa, etiam hodie a nonnullis medicis ex usu medentibus pronunciata, qua opinione in ipsa taeniae curatione varietates (phases) lunae maximi momenti esse dicuntur ita, ut curatio postremis tantum diebus, quibus luna decrescit, incepta prospere possit succedere. Ut praeter mittamus, opinionem illam argumento, quod appellamus „statistico", probari non posse, id quod solum rem decidere posset, non est infitiandum, taeniam saepissime etiam luna impleta et inchoata et omnibus in lunae varietatibus descendere; causa vero physiologica ad probandam illam opinionem haudquaquam potest afferri. Etsi taeniam certis anni temporibus saepius exire nobis videtur concedendum, causa tamen eius rei minime est posita in lunae phasibus nec in certis temporibus recurrentibus, sed partim in aliis rebus externis partim in internis, ut in singulari corporis affectione, vel constitutione, vel vitae ratione aliisve. Tali modo, ut exemplum proferamus, constat, certis fructibus, praesertim fragis, baccis myrtillis, acinis, prunis, cucumeribus, brassica acida facile maiores vel minores taeniae partes depelli; itaque facile intelligitur, qua de causa his fructibus maturescentibus tempus quotannis recurrere videatur, quo partes avulsae taeniarum exeunt. Eodem feremodo harengarum, cerevisiae fortis aliarumque eiusmodi rerum maior vel minor copia, ut fert anni tempus, consumuntur, quam ob rem taeniae partes temporibus recurrentibus descendere videntur. Alia causa, qua certis anni temporibus taeniarum membra saepius exeunt, quam aliis, posita est in eo, quod (si e. g. taeniam solium respicimus, maximi est momenti) [1]) caro porcina praecipue certis anni temporibus (ab Octobri mense usque ad Martium) editur; quum igitur quoque hydatidis finnae eo tempore saepius devorentur, atque hae tribus quatuorve mensibus post taeniae iam factae esse possint,

1) Kuechenm. op. c. p. 1. p. 70. sqq.

elucet, a Ianuario ousque ad Iulium taeniae membra facilius descendere. Neque minus apparet, quum etiam aliis mensibus edatur caro porcina, quovis anni tempore id fieri posse, id quod experientia satis est conpertum. Tertia causa est, quod a taenia semel maturitatem assecuta semper nova membra nascuntur, quae excedere natura iubet id quod totum per annum potest fieri, quum a scolice relicto entozoon semper renascatur.

Quum vero observaretur, taenias earumqne partes certis temporibus saepius exire, quam aliis atque origo et propagatio helminthum prorsus essent ignotae, facile fieri potuit, ut illa tempora recurrentia cum lunae phasibus coniuncta esse putarentur, praesertim quum multis in rebus obscuris lunae partes dei ex machina tribuantur. Quid adiuremus pallidam lunam, quum scientiae luce res sit perspicua et dilucida?

Ceterum extremarum aetatis humanae partium et nimiae puerilitatis et senectutis quum omnino, tum in adhibendis drasticis rationem esse habendam hasque aetates contraindicationes praebere posse, elucet.

Quoad genus aegroti, cavendum est, ne menstruorum, graviditatis vel lactationis tempore cura tentetur, quum timendum sit, ne metrorrhagia oriatur, fiat abortus vel infans inter lactationem detrimentum capiat. Attamen flores Kousso omnino iis in rebus contraindicationes non praebere dicuntur, quum Budd et Iack eos pueris, Robinson menstruorum tempore, Budd etiam gravidis mulieribus et Mitchell inter lactationem sine ullo detrimento dederint [1]).

Qui morbi simul praesentes curam prohibere, differre vel valde immutare debeant, praecipue pendebit ex remediis adhibendis. Maxima cautione opus erit, si adsunt haemoptysis

1) V. dissert. c. ab Oestreicher p. 32.

haematuresis, metrorrhagiae, herniae, prolapsus uteri, vaginae, recti, si aegrotus ad diarrhoeam inclinat atque in febri cuiusvis generis. Magnus intestini torpor praesertim drasticis diu adhibitis ortus medicamentorum delectum valde immutat.

Quod ad curationem contra taeniam dividenda est in partes tres: in praeparationem curae, in ipsam depellendae curam, in curationem, quae sequitur ad restituendam aegroti valetudinem. Nostrum erit, si de singulis partibus agimus breviter vel pluribus verbis, ut necesse erit, methodos praestantissimos respicere.

I. Praeparatio curae.

„Si quis hominem taenia lata laborantem curat eique medicamentum vel potionem praebet isque satis ac bene est praeparatus, taenia glomerata tota exit et homo fit sanus.“ His verbis iam Hippocrates significat, quanti sit momenti omni in taeniae curatione non statim ipsum anthelminticum praebere. Etiam magis presse ea de re dicit Alexander Trallianus, qui famem inimicum potentissimum esse taeniae contendit. Quantum haec curae praeparatio vera inedia esse debeat, singulis in aegrotis facile erit diiudicandum; neque tamen dubium esse potest, praeparationem illam et experientia et physiologia iuberi. Qui taenia laborant, praesertim ieiuni pessime sunt affecti, atque cibo assumpto statim doloribus sunt liberati. Quo nutrimento ademto taenia fit languidior, eo magis cupidior, nutrimentum praebitum, etiam medicamenta arripere studet, id quod iam saepe probatum est ea re, quod taenia depulsa gummi guttae tincta videbatur. Praeterea tali modo concoctio valde incitatur atque medicamentis insequentibns adiutus motus intestini peristalticus enixe excitatur, ut taeniam eamque circumdantem propellat mucum. Imo non raro factum est, ut post solam inediam sponte taenia exiret. Quem in modum

illa inediae curatio sit ordinanda, quamdiu in ea permaneat aegrotus, pendet videlicet ex corporis constitutione etc. Omnino potest contendi unum diem sufficere; complures autem dies vel hebdomades fame torquere aegrotum, ut multae praescribunt methodi, esse reiiciendum. Neque magis intelligi potest, quid iuvet cibos multo sale conditos, harengas aliaque eiusmodi comedere priusquam ipsum anthelminticum porrigatur. Quam curandi rationem tamquam curae praeparationem nullo modo probare possumus. Sit, ut assumtio illarum rerum taeniae sit molesta, eam reddat infirmam vel aliter afficiat, ad eundem tamen finem anthelmintico ipso pervenimus.

II. Curatio ad depellandam taeniam.

Si tali modo diaetetica praeparante intestinum idoneum est factum, quod taeniam propellat, ipsum anthelminticum porrigitur. Utrum tunc entozoon vivum aut mortuum depellatur, quoad curae successum nihil interest; neque proprie distinguere possumus, quae remedia taeniam necent, quae depellant. Neque enim physiologice certo probari potest, utrum, ut plerumque putatur, pars anthelminthicorum ipsorum dynamice (peculiari oleo aethereo vel empyreumatico, tannino, acri amaro) an vi chemico-physica sit efficax, taeniam debilitans, veneno interimens, an tertia pars effectu solvente et purgante a taenia mucum eam involventem removeat motumque peristalticum tam fortem in intestino excitet, ut helminthes necessario depellantur. Quae ex ingenti remediorum numero contra taeniam praedicatorum, quae eorum compositio, quae methodus in singulis aegrotis sit adhibenda, diiudicare videlicet est difficillimum, si praecipue illum infinitum prope numerum anthelminthicorum, quae dicuntur, respicis et si animo revolvis, quemque fere medicorum suam methodum certissi-

mam atque omnibus sub conditionibus efficacissimam praedicare. Attamen res multo fit facilior, quum tecum reputare velis, quot remedia casu solo famam talem adepta sint, quamquam nullo modo in morbo illo sunt efficacia. De multis remediis ostendi potest, quomodo ad famam illam pervenerint.

Inter methodos igitur et remedia ea tanquam praestantissima et certissima agnoscemus, quae omnibus in aegrotis, omnibus sub conditionibus atque complicationibus certissime taeniam depellere et organismum integrum possunt reddere. Etiam hic in ipsa taenia depellenda facile intelligetur, vel anthelminthica experientia spectatissima saepenumero sola non sufficere atque nos saepe ad finem propositum compositione tantum medicamentorum complurium pervenire, ut singuli postulant morbi.

Quod hic omnia illa, quae in parte historica enumeravimus remedia praeterimus, partim idcirco fit, quod magnus eorum numerus vere non sunt anthelminthica, partim quod plurima plus minusve sunt supervacanea vel multo melioribus et omni in casu adhibendis possunt subrogari. Itaque imprimis de his tantum disseremus: I. de rad. filic. mar. II. de flor. Kousso. III. de cort. rad. Pun. Granat. IV. de ol. therebinthin. V. de stanno; de ceteris breviter, quae opus sunt, annotabimus.

R a d. f i l i c. m a r. iam antiquis temporibus tanquam anthelminthicum nota usque ad nostros dies remedium manebat probatum. Pharmaceutica nota putantes, id tantum monemus, radicem a mense Iulio usque ad septembrem esse colligendam, quod, nisi fit, multum de eius effectu detrahitur. Elementa eius efficacia sunt: Ol. pingue oleo aethereo mixtum et resina, aethere extracta, extractum fil. mar. aethereum officinale constituens. Radix et decocti et pulveris forma adhibetur. Dosis pulveris pro adultis ℥β—I, pro

pueris XII vel XVIII a. n. ʒIII — ℥β, pro natu minoribus ʒβ — III. Propter malum saporem electuarii vel boli formam optimam censemus. Ad decoct. rad. sume ℥β — I. Quum semper fere in excrementis, quibuscum taenia radice fil. mar. depulsa exit, odor colorque pulveris inveniantur, licet iudicari, radicem paullulum tantum immutatam in intestinum transire ibique proximo contactu in taeniam esse efficacem. In organismum effectus parum est debilitans atque, ubi plurimum, oritur taedium et inclinatio ad vomitum, ad quem evitandum lecto incumbere aegrotum et putamen mali medici sacharo conspersum vel calamum sumere iubebis. Quum radicis vis purgaus omnino sit parva, non erit reiiciendum, duobns vel tribus horis post purgans porrigere (ut ol. ricin. vel Calomel. cum Ialapp). Neque minus drasticum coniungi potest cum radice hac fere formula:

℞ P. rad. fil. mar. ʒIII
gi. gtt. ʒβ
Mell. desp. ℥II

m. f. elect. d. s. binis vel ternis horas ad cochlear parv.

Utrum radix filic. mar. effectum habeat emmenagogum necne, non esse videtur; Rremser quidem eam dedit gravidae sine ullo detrimento. Non solum eam contra bothrioc. latum, verum etiam contra taeniam sol. adhiberi posse cum successu, ex factis, quae constant, satis certe potest dici.

Wawruch plus quam quingenties et bottrioc. lat. et taeniam sol. depulit illa radice. Weishaar, qui quingentos fere aegrotos sua methodo, Wawruchii simillima, curavit, semper fere prospero successu gavisus est. Ullersperger[1]) Monacensis plus quam sexagies et, ut refert is vir, Moellenthiel plus quam ducenties atque id omni in casu

1) Jahrbuch des aerztl. Vereins in Muenchen. 2. Jahrgang. 1836. S. 235.

prosperum eventum sunt consecuti. „Die Farrenkrautwurzel ist ein specifisches Gift für die Bandwürmer, tödtet sie sicher und schnell und hat mir alle andern gerühmten Bandwurmmittel älterer und jüngster Zeit entbehrlich gemacht; sie ist nicht widerlich und wenigstens ebenso leicht als alle andern Mittel zu nehmen, erregt keine schädlichen Neben- und Nachwirkungen, wird von jedem Alter, Geschlecht und Constituion ertragen, ist überall zu haben, die Dauer der Kur ist sehr kurz und der Wurm geht sammt dem Kopfende in der Regel schon Mittags ab." Haec ipsa eius verba.

Meyer[1]) Bueckeburgensis per XII — XV annos multos aegrotos semper taenia liberavit. E medicorum Gallorum numero Ronzel[2]) magnis laudibus effert radicem fil. mar.

Nec minus experientia approbatur extractum fil. mar. aether., quod optime pillularum vel electuarii forma pro dosi ϶β — I datur. Peschier Genevensis, qui primus id praeparavit, contra botrioc. bat. hanc commendat formulam;

℞ Exctr. filic. mar. aeth. ϶I

P. rad. fil. mar. q. s.

ut f. pill. Nr. XX.

D. S. duabus partibus hora dimidia ante somnum s., ab hora IV nullo assumto cibo. Die insequente laxans non nimis fortis. E multis prosperis eventibus, quos extracto filic. mar. aeth. adepti sunt medici, hic praecipue illos affero, quos consecutus est illustrissimus Albers[3]) prof. Bonnensis, qui centum aegrotis curatis bis tantum statim taeniam non depulit; attamen cura iterata eos quoque duos aegrotos sanavit. Eius autem methodus est haec: Postquam aegrotus

1) Hufeland's Journal. 1840. Februarheft.

2) Revue médicale. Decembre 1842. P. 394.

3) Kasper's Wochenschrift. 1850. Nr. 30 und 31.

I—III dies diaetam observavit, die curationem praecedentem recipit sal. Glauber. ʒI — V., die sequente mane extracti ʒβ et hora una post eandem dosin, tum I — II horis post ol. ricini ℥β — I; VI — VIII horis post primam dosin taenia tota aut in partes plures divisa solet exire. Restat, ut nostram ea de re proferamus sententiam, nisi forsan aliud remedium fortius indicetur, optimum esse, radicem fil. mar. primum adhibere sive pulveris, sive electuarii, sive extracti forma.

Flores Kousso, in Abyssinia anthelminthicum usitatissimum, non magis fere praedicantur, quam vituperantur. Omnes, qui in Abyssinia itinera fecerunt, narrant, Abyssinios floribus Kousso nunquam taenia prorsus liberari eamque rarissime toto cum capite exire. Kuechenmeister, qui eo remedio complures aegrotos curare tentabat, atque in tribus resinam mollem ab ill. Martio prof. Erlangense praeparaetam adhibuit, semper taeniam in complures partes direptam et usque ad collum tantum exire vidit. In scripto, de arbore Kousso recentissimo a Mayer-Ahrens [1]) edito nonnulla afferuntur experimenta, ab Hasse prof. ill. Turicensi facta, quorum unum malum habuit eventum, quum stranguria eveniret. Attamen ab aliis medicis, praesertim ab Anglicis et Gallicis eventus prosperrimi commemorantur. Tali modo Combes medicus, frustra radice fil. mar. sumta et cortice rad. Granat., infuso flor. Kousso e grammes XL (ʒIβ) cum grammes aq. CCC taeniam totam sibi expulit. Ut effectus quoad depulsionem est varius, ita etiam quoad affectionem totius corporis magna in eo remedio est differentia. Quum in multis aegrotis nausea tantum vel, ubi plurimum, vomitus eveniret, alii capitis dolore, colica, borborygmis vel etiam urinae difficultatibus laboraverunt. Iohnstonio auctore saepe

1) Die Blüthen des Kossobaumes, die Rinde der Musserna und einige andere abyssinische Mittel gegen den Bandwurm. Zürich. 1851.

abortus sequebatur, quum mater haud raro e vita decederet. Quibus de causis, sive in dosi nimis magna sive alia quadam in re illi effectus infelicissimi sunt positi, iure contendimus, flores Kousso nondum tali modo experientia nobis esse notos, ut omnino ceteris remediis, imprimis radici fil. mar. et cortici Granat. praeferre possimus.

Cortex rad. Pun. Granat., qui cum radice fil. mar. ab antiquissimis usque ad nostra tempora anthelminthicum erat certissime efficax, vere, ante balaustium colligitur et loco opaco exsiccatur. Bretonio auctore recens non tam efficax, quam siccatus, ita ut ℥III cort. recent. eodem sint effectu quo ℥II sicci. Formae, quibus adhibetur, sunt: 1) Decoctum, 2) extract. 3) pulvis. Decoctum, quod praecedente maceratione longiori fit, est fortissimum, quum eo modo elementa efficacia (tanninum cum Landereri substantia acri, acid. Gallic.) optime extrahantur. Dosis decoct. pro adultis:

℞ Cort. rad. Granat. (sicc.) ℥II—IIβ
inf. c. aq. fr. ℔Iβ
macer. p. noct.
coq. usq. ad remanent. ℔I
Tum cola et exacte exprime.

D. S. duabus vel tribus hor. consumend.

(secundum Mérat.)

Cortex recens, quum sit vi purgante, plerumque non eget laxante addito; attamen ut decocto, sicuti emitur, adiungatur laxans consulendum nobis videtur. Pro pueris nondum VI a. n. dosis est: ʒII—℥β, nondum XV a. n. ℥I—℥Iβ. Mérat in formula supra data corticem recentem praescribit atque, si prima parte recepta vomitus eveniat, haesitandum non esse, quominus secunda porrigatur; attamen, si etiam nunc adsit vomitus, non amplius decoctum esse dandum. Plerumque una sexve horis post taenia exit. Ex CLXLII curis, quas Mérat partim sua methodo, partim aliis suscepit, quin-

que tantum dubio erant effectu, una uullo; etiam e mulieribus V vel VI mensem gravidis taenia est depulsa.

Schmidtmueller in India orientali in CXLVIII aegrotis prospere successit, dum ex duobus taenia non exiret. Usus est hac formula: Post unius diei inediam vespere ol. ricini ℥II, die insequente:

℞ Cort. recent. Pun. Gran. ℥III
levit. contus. inf. c.
aq. commun. ℔ XII
stent p. h. XII
dein coq. in len. calor p. h. XII
ad colat. ℥VI.

D. S. Una hora tribus partibus bibendum.

Extractum cort. Gran., quod est aquosum, spirituosum, aethereum, non tam certo est notum, ut iudicari de eo possit. Kuechenm. adhibet extr. aquos, cum extr. filic. mar. aeth., quam remediorum coniunctionem valde commendat:

℞ Extr. rad. Pun. Gran. q. est adeptus
ex. rad. ℥IV—VI
Adde aq. dest ferv. ℥VI—VIII
Extr. filic. mar. ℈I — ʒß
gi. gtt. gr. IV—VI (s. Natr. sulf. ʒVI—℥I)
D. S.

Peragitatum mane ieiunus recipe ad pocillum; tribus horae partibus post eandem dosin; tertia reservetur. Si hora una et dimidia post II. dosin taenia non exiit, etiam III. pars sumitur; si vomitus oritur, denis momentis recipe ad cochlear; ad irritationem vomitus leniendam gargarizandum lacte vel parvis intervallis elaeo-sach. citri sumend. Tribus horis post primam partem sumtam nec sedibus nec taniae exitu secutis, dandum est laxans; si adest taenia sol. ol. ricin. post ½—1 h. ad cochlear I—II aut:

℞ Gi. gtt. gr. IV—VIII
P. rad. Ialapp. gr. X—XV
Md. s. simul sum;

si adest taenia mediocanellata:

℞ Calomel. gr. IV—VI
P. rad. Ialapp. gr. X—XV
Mds. simul sumend.

Forma pulver. rad. cort. Granat., cuius dosis pro infantibus gr. XII—℈I, pro adultis ℈II singulis horis dimidiis vel totis est sumenda, ab iis, qui adhibuerunt eam, prorsus a re aliena est inventa.

Restat, ut commemoremus, coniunctionem decocti cort. rad. Gran. cum extr. filic. mar. aeth. magnam habere vim, ut Dr. a Klein Stutgardensis (alia omittimus exempla) feminae decocto ex ℥II corticis, ut emitur, cnm ℈II extr. filic. mar. aeth. iam duas post horas nullo drastico adhibito vel laxante taeniam depulit. Ea de re vide in appendice III. morbi historiam.

Facere denique non possumus, quin indices Seegeri „statisticas" hic afferamus, quae radicem cort. Granat. efficacissimam esse optime probent. Index vero Seegeri est hic:

Ex CCCCXIX casibus, collectis usque ad annum MDCCCLII, pertinent:

LX	ad Germaniam,	prospero successu	XXXII,	dubio	XV,	nullo	XIII
XII	„ Angliam,	„	„ XII	„	—	„	—
CXLVIII	„ Galliam,	„	„ CXXXVII	„	IV	„	VII
XVIII	„ Belgiam,	„	„ XVII	„	I	„	—
XVI	„ Italiam,	„	„ XIV	„	—	„	II
XV	„ Lusitaniam,	„	„ XI	„	IV	„	—
CL	„ Indiam orient.,	„	„ CXLVIII	„	—	„	—
			CCCLXXI	„	XXIV	„	XXIV

Neque minus Kuechenmeisteri verba omittamus, qui ea de re ita dicat:

„Ich könnte theils durch eigene, theils durch nach meiner Methode von Andern gemachte Erfahrungen die Zahl der gelungenen Fälle um ein Beträchtliches mehren." Quis non poterit? Aegroti taenia laborantes, qui in Clinico Bonnensi, directore Dr. M. Naumann, professore illustrissimo curabantur, plerumque, si aliis remediis non satis prospere succedebat, cortice rad. Gran. sanabantur. Quibus omnibus ex rebus intelligi potest, quem locum cortex rad. Gran. inter anthelminthica obtineat.

Oleum therebinthin. rectificatum magnis dosibus ad ℥I—II adhibitum haud minus in numero anthelminthicorum praestantissimorum est habendum, atque Kuechenmeister eo ibi utitur, ubi cortex rad. Granat. nullo erat effectu, quum etiam taeniam mediocanellatam eo depulsam esse auctor sit. Eius autem formula adhibendi est:

℞ Ol. therebinth. rectif. ℥I
— ricin. ℥I s. ol. Croton. gtt. I—II
Vit. ov. N° II—III
Mell. desp. ℥I subact.

Ds. Duobus vel tribus partibus hora una vel h. 1 ½ sumend; infantibus dimidium. Illam adhibendi rationem cum laxante coniunctam multo magis suadendam esse censemus, quam oleum therebin. solum praebere, quum medici, praesertim Copeland, Elliotson, alii sint experti effectum purgantem nonnunquam non sequi ita quidem, ut reactiones inflammatoriae appareant in intestino et in organis uropoëticis, id quod etiam dosibus nimis parvis (ʒβ—1) fieri solet.

Neque minus nuper Lange Regiomonti oleum magnam habere vim ipse expertus est, quocum imprimis medici Anglici consentiunt. (Nonnulla exempla observatione digna v. apud Seeger op. c. p. 102.)

Stannum limatum a Petro Frank ad ℥I cum extr. Gentian ʒII et melle commune electuarii forma adhibitum, remedium est, ad quod, omnibus ceteris non efficacibus, refugiendum suademus. Eius vis maximam partem est mere mechanica, ut experimenta in animalibus facta probant. Quodsi adhibes optime te Dupuisii methodo uti putamus cum Kuechenmeisteri immutatione, ut loco stanni raspat. Anglic. praescribas stannum galvanice praecipitat., quod Becker pari cum effectu adhibuit.

Plura de aliis remediis afferre, supervacaneum esse censemus, quum eorum nullum iis, de quibus modo egimus, ulla ratione aequare vel ea superare possit.

Curatio taeniam expulsam sequens.

Taenia expulsa curandum est primum, ut momenta helminthibus orientibus fausta removeantur, tum, ut dispositio illa mucum faciendi breviore vel diuturniore taeniae commoratione excitata atque intestini debilitas ita orta tollatur, denique, ut affectiones illae, quae taenia expellendae cura remanserunt in organismo, tractentur. Ad finem ita propositum pervenimus partim, quum aegrotum diaetetice vivere iubeamus, partim medicamentis porrectis. Quod ad diaetam videndum est, ne stomachus curatione semper aliquid debilitatus statim cibis oneretur neve fami, quae plerumque oriri solet, nimis indulgeatur. Ius bonum ac validum cum pane siligneo, olera recentia, caro facile digerenda, vinum rubrum primis temporibus sunt commendanda. Attamen si aegrotum cibi non multum esse appetentem videmus, medicamenta amaro-aromatica praebere iuvabit.

Medicamentorum tonica amara, absinthium, quassia, calamus atque imprimis praeparata ferri maxime sunt idonea. Aegrotis fortiore cura debilitatis fontium acidarum usus valde est suadendus, ut praeter alios iam Richter et Hufeland

aquam Pyrmontis et Dryburgiae adhibere iusserunt, quibus Homburgae, Franzenbadi apud Eger etc. adiungi possunt.

Summa totius discussionis.

Brevi si in conspectu ponimus, quae ex dissertatione nostra fiunt perspicua, hae sunt theses:

1) Omni fere in taeniae curatione opus est curae praeparatione, qualem exposuimus, ut cura fiat perfecta atque certa.

2) Omnes aegrotos eodem methodo, quaecunque est, tractare, prorsus reiciendum est.

3) Ipsa depellendi cura incipitur a radice filic. mar.; qua frustra adhibita, sequuntur quoad pretium therapeuticum primo loco, cortex rad. Granat., secundo, oleum therebinthin, tertio denique stannum ita, ut stannum efficacissimum habeatur.

4) In casibus pertinacibus, ut in taenia mediocanellata (Kuechenm.) oleum therebinthin. est adhibendum atque, si non succedit, stannum ea ratione, qua supra diximus.

APPENDIX.

Morborum historiae utilitas ad praxim omnem aestimationem excedit. Nec enim ulla est circumstantia tam levis aut exigua, quae suos usus non habeat.
Sydenh. p. 9.

Ut nonnulla, quae de singulis anthelminthicis exposuimus, magis probentur, hic afferimus historias quattuor morborum, quas debeo professori illustr. Dr. M. Naumann, praeceptori meo dilectissimo, summe venerando.

I.

R. C., mulier XIX annorum, VI a. nupta, mater IV liberorum. Uxor eius est lanius, multam carnem praecipue

porcorum venditans. Iam a primo puerperio laboravit variis molestiis, quae tandem (postquam in sedibus taeniarum membra sunt inventa) taeniae tribuebantur. Annis prioribus complures taeniae curationes in ea sunt factae; attamen semper singula tantum membra vel catenae non nimis longae exierunt. Interdum molestiae semper creverant. Quartum post puerperium convulsiones vehementes, hysterico-epilepticae sunt ortae, quae vomitu multi muci glutinosi finiverunt. Auctumno a. 1854 cura incepit. Aegrota primum recepit emeticum, deinde octo per dies Zinc. oxydat. initio gr. VI, denique gr. XII, vespere quotidie clysma ex as. foetid. ʒβ ad decoct. mucilaginos ℥IV. Die nono recepit radicem filic. mar. hac formula: ℞ P. rad. filic. mar. ℥III Gutti ʒβ, Mell. desp. ℥II D. s. Ternis horis ad cochlear. parv. impletum. Per diem multa taeniae membra exierunt. Vesperi aegrota unum, tempore matutino duo cochlear. ol. ricin. recepit. Hora insequente taenia plus XXI pedes longa exiit, cuius caput egregie erat servatum.

II.

Fr. Sch. XXIII a. n., tabernae sutoriae alumnus, homo macer, figuram malae valetudinis prae se ferens, colore livido. Ab anno aetatis decimo quarto usque ad extremos iuventutis annos valde erat masturbatus. Iam plures per annos singularibus affectionibus laboravit. Octenos vel denos quaternos post dies alvus acribus doloribus arcte constringentibus tympanitice est inflata, quum brevi tempore (hora dimidia) summus tympanitidis gradus stomachi et intestini oriretur. Interea aegrotus magna vexabatur anxietate, pectus premebatur, pulsus cordis parvus, celerrimus, irregularis. Oriebatur singultus admodum dolorosus nec raro spasmus glottidis vere hystericus. Urina frequenter, semper vero parum mittebatur aquae colore similis. Post-

quam hic status, quo angor, anxietas, vertigo, cutis frigor ad summum pervenerunt fastigium, duas tresve per horas duravit, crebris cum ructibus et flatibus desinere incepit. In intervallis aegrotus variis difficultatibus cum renum doloribus, vertigine, sedibus irregularibus iunctis laboravit.

Quum post singulos eos impetus nonnulla vel multa taeniae membra in excrementis viderentnr, aegrotus recepit decoct. Kousso (℞ Flor. Kousso ℥I coq. c. aq. font. ℥XVI ad colat. ℥VIII adde Syrup. Glyzyrrhiz. ℥I Ds. dimidium experrectus, alteram partem hora post sum.) Tum exierunt taeniarum partes magnae, quarum descensns nonnullis dosibus ol. ricin. facilior est factus. Attamen tum demum, quum dies XIV post aegrotus decoctum forte cort. rad: Gran. recepisset taeniae capitis finis exiit. Quam post curam affectiones tympanitidis valde sunt, minuti neque tamen prorsus removeri potuerunt.

III.

R. M. institor XLIII a. n., qui per maximam vitae partem ad mercatus vagatus erat, aestate anni 1855 in clinicum receptus est. Querelae eius erant variae: appetitio per complures dies prorsus eum defecit atque deinde iterum usque ad voracitatem erat aucta. Tum bulimo laborabat, qui, nisi ei satisfieret, in cardialgiam dolorosam transibat. Saepe horis matutinis ieiunus vomitu liquorum acidorum, mucosorum erat affectus. Concoctio valde irregularis erat; nam, quamquam alvi obstructio adesse solebat, haud raro tamen diarrhoea complures per dies orta est. Interdum aegrotus de palpitatione cordis, anxitate, vertigine, de doloroso linguae rigore questus est; qui praecipue cum motibus intestini fortibus plus minusve dolorosis et borborygmis conveniebat.

Quum purgante dato nonnulla taeniae sol. membra exiissent, aegrotus primum recepit filicem mar., quattuor

post dies Kousso, iterum quatuor post dies decoctum rad. Granat., purgantibus interdum porrectis. Semper tum catenae membrorum minores tum singula membra evacuata sunt. Quum vero successus non esset perfectus, iterum quatuor post dies haec cura suscepta est: Aegroto post meridiem hora III et vesperi h. VIII clysma as. foetid. ʒI addita; quod semper quam longissime retinere iussus est. Ad cibum vespertinum harenga et iusculum ex aqua ei data sunt. Die insequente h. matutina ieiunus recepit:

℞ Cort. rad. Granat rec. ℥II.
coc. c. aq. font. ℥XXIV
ad remaent. ℥VIII in colat. solve
extr. filic. mar. aeth. ℈I

Ds. Quaque dimidia hora pars quarta sumenda. Ultima tantum parte sumta paullulum vomitus ortum est; aegrotus tamen in mala erat conditione nec procul ab animi deliquio; clysmate ex aceto applicato taenia denique plus XIII ped. longa exiit cum toto capite, ut die insequente restitutus institutum relinqueret.

IV.

B. M. XXXII a. n. mulier tenui figura. Compluribus iam annis affectionibus nervosis laborabat eaeque uxore mortuo tribus annis ante valde augebantur. Saepe cardialgia imprimis vexabatur, quum simul lingua plerumque brevi tempore valde esset obtecta atque vomitus crebrior adesset. Alvus erat saepe inflata ac simul molestum habuit sensum, quasi, plerumque in regione umbilicali intestina globatim convolverentur. Saepissime evacuatio medicamentis fieri necesse erat. Haud raro interea paroxysmi hysterici apparuerunt, qui interdum vehementissimi erant. Facies cano quodam colore fuit insignis. Quum igitur post vehementem eiusmodi paroxysmum nonnulla taeniae membra exiissent, aegrotae caute taeniam depellere statutum est.

Filix mas hac formula est data:

℞ Pulv. rad. filic. mar. ʒIII
— — Ialapp. ʒI
Oxymell. scill. ℥β
— simpl. ℥Iβ

mf. electuar. Ds. Ternis horis ad cochlear parv. sumend. Postquam aegrota mane incipiens quinque cochlearia parva huius electuarii sumpsit, duo cochlearia ol. ricin. recepit. Dimidiam post horam taenia plus XXX ped. longa exiit, cuius totum caput optime servatum videbatur. Iam septem hebdomades ab huius curae tempore praeterlapsae sunt. Femina floridam speciem adepta usque ad hoc tempus affectionibus illis nervosis liberata est.

VITA.

Natus sum Guilelmus Zilz Confluentiae anno h. s. XXXIV patre Conrado matre Beatrice, e gente Felix. Patrem carissimum mihi mortem ereptum admodum lugeo, matrem adhuc in vivis esse valde laetor. Fidem confiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus adii gymnasium catholicum Coloniense, quod Birnbaum tunc directore florebat. Testimonio maturitatis munitus ineunte m. Maii anni LIV hanc almam literarum sedem Bonnensem petii atque a Rectore magnifico Sell in civium academicorum numerum receptus a Dr. M. Naumann tum decano spectatissimo albo facultatis medicae incriptus sum. Scholis interfui virorum doctissimorum: G. Bischof, Dahlmann, Knoodt, Nöggerath, Pluecker, Monnard, Treviranus, Troschel, Albers, Busch, Kilian, Mayer, Naumann, Schaafhausen, Schauenburg, M. I. Weber, Wutzer.

Quibus omnibus viris optime de meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

1) Inventae taniae partes solum certum diagnoseos signum.

2) Taenia expulsa perfectam sanationem non probat.

3) Omnis morbus ad mortem tendit.

4) Aconitum nomen duxit ab eo, quod ἐν ἀκόναις crescit.

5) In gonorrhoea urethrali sananda iniectiones solae adhibitae sufficiunt.